

**UNDECIMA DIES IUNII.
DE S. BARNABA APOSTOLO,
SALAMINE IN CYPRO.
ACTA VITÆ PRIORIS**

**Ex vetusta editione Bonini Mombritii,
collata cum membraneo Codice nostro.**

[1] [Cum festum S. Barnabæ, æque ac 12 Apostolorum, venerandum sit,] Redemptor & Salvator noster Dominus Jesus Christus, antequam de interitu satanæ triumphans, victor & exultans penetraret regna polorum, sanctam Ecclesiam, quam pretioso sanguine acquisivit, per Beatos Apostolos & Apostolicos viros immobiliter muniens fundavit, & mirabiliter corroborans solidavit. Scilicet, ut & ipsa inviolata semper & gloriosa maneret, & illorum prædicatione novam sibi progeniem plurimosque filios aggregaret, e quorum consortio & collegio extans Beatissimus Barnabas, tanta devotione pro ipso decertare studuit, [utpote cum Paulo ordinati Apostoli,] quanto divinitus, per Spiritus sancti gratiam, cum B. Paulo Apostolo ad Apostolatus gloriam vocatum se esse cognovit. Ergo cum sanctorum Apostolorum Natalitia celebramus, dignum equidem atque salutare videtur, ut ejus solennitatem devotissime celebremus. Quoniam quidem, si non est in ordine duodenario Apostolatus eorum; non tamen deest catalogo prædicationis excellentia miraculorum, quæ cum Beato Paulo (sicut Lucas Evangelista refert in Actibus Apostolorum) mirabiliter patravit: a tempore videlicet, quo per invocationem & gratiam Spiritus sancti, tertio decimo post Domini passionem anno, cum ipso Paulo, ad Apostolatus ordinem atque celsitudinem & prædicationem divinitus electus est; vocante illos eodem Spiritu sancto, & dicente;

Segregate mihi Barnabam & Saulum, in opus quo assumpsi eos.

[2] Sed qualiter vir iste Domini Barnabas devotissime fidem Catholicam prædicando, [ejus Acta ex Luca & Joanne-Marco dare proponit Auctor.] & corda infidelium ab errore iniquitatis redimendo, opprobria & contumelias pro Christi amore sustinendo certaverit, ac deinde per martyrii gloriam ad paradisi palmam pervenerit; per autenticam seriem, & auctoritatem præfati Lucæ Evangelistæ, & Joannis cognomento Marci, discipuli atque exadelphii ejus gradientes, fida relatione pandere curamus. Denique iste est ille Barnabas sanctissimus, qui & Joseph dictus, unus ex septuaginta discipulis Domini Salvatoris, qui secundum nominis sui præsagium, dignitatem promeruit: nam Barnabas Hebraice, Latine autem Filius consolationis dicitur. Comunitè cum sanctis Apostolis degebat, & consolationem maximam præbebat eis; [Joseph, ob levatam fidelium necessitatem dictus Barnabas,] in quibus videlicet erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et quotquot possessores erant agrorum aut domorum, vendentes, pretia eorum afferebant, & ad pedes discipulorum ponebant. Sic etenim scriptum est: Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis, quod est interpretatum, Filius consolationis, Levites, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit illum, & attulit pretium, & posuit ad pedes Apostolorum.

[3] [Paulum adducit Damasco Hierosolymes] Postmodum vero, cum Beatus Paulus conversus fuisset ad fidei gratiam, eodem anno quo Dominus passus est & resurrexit, iste Barnabas, in ipso initio fidei ejus, illum apprehendere dignus fuit, & ducere ad Apostolos: unde & sequitur: Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos, & narravit illis quomodo in via vidisset

Dominum, & locutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in Domino Jesu. Plane diligenter confiderare & admirari condecet, quantum illum divina gratia dilectum, quantumque amabilem atque dignum habuit, quando inter tot Discipulorum catervas, non alium ad instruendum & docendum suum novum militem miserit, nisi illum, qui Consolationis filius dicebatur: scilicet ut illi Saulo, qui novus tiro, novam tirocinii gratiam perceperat, dulcem sanctæ fidei gratiam dulceque mysterium sagaciter ministraret: cuique, dante gratiam Deo, dare quam non pœnitent umquam, quantum ejus instructio in novum Christi militem fructificaverit, quantumque inter sanctos Apostolos gloriosus enituerit, repletus Spiritu sancto, audiamus.

[4] Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis, super istis, & miserunt Barnabam Antiochiam: qui cum venisset, & vidisset gratiam Dei, gravisus est valde, [ipse Antiochiam missus,] & hortabatur omnes manere in Domino; quia erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto, & fide, & apposita est multa turba in Domino. Nonne quia illum cognoverant sancti Dei Apostoli esse virum bonum; & non tantum virum bonum, sed quod gloriosius est, atque beatius, plenum Spiritu sancto, ideo ad prædicandum illum mittere studuerunt, ideoque ei sanctus Spiritus turbam multam subjicere, atque ad cognitionem Domini nostri Jesu Christi mirabiliter perducere dignatus est. [illum quoque eo adducit] Sed quia non solum istos Domino acquirere cupiebat, ne novum tironem oblivione traderet, inhianti studio illum sibi comitem ad prædicandum sumere studens, profectus est, inquit Evangelista, Tharsum, ut quæreret Saulum; quem cum invenisset, perduxit Antiochiam, & annum totum conversatus est cum eo in Ecclesia, & docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani.

[5] Verum quia non tantummodo in prædicationis gratia, [& collectas eleëmosynas cum eo defert in Jerusalem.] sed etiam in hospitalitatis misericordia benignus extiterat; cum sancti Apostoli Hierosolymas eleëmosynam destinare curarent, istum præ omnibus, & inter omnes eligere statuerunt: sic enim adstruit Euangelista: Discipuli autem, prout quisque habebat in ministerio proposuerunt mittere habitantibus in Judæa Fratribus, quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli. Interim quantum talis obedientiæ, talisque eleëmosynarum virtus Domino Deo placuerit, quantamque vicissitudinem exinde postquam reversi sunt in Antiochiam perceperunt, sequens lectio demonstrat. Barnabas autem & Saulus reversi sunt Hierosolymis expleto ministerio. Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores, in quibus Barnabas & Saulus. Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit Spiritus sanctus; Segregate mihi Barnabam & Saulum, in opus quo assumpti eos. Ecce beate nimis Barnaba, Apostole D. N. Jesu Christi, quanta tibi divina gratia tribuit dona, pro digno munere, quod dignus rite patrastis: scilicet ut Spiritus almificus te devote vocaret, mitteretque ad populum cælestia dicta ferentem.

[6] Sequitur beati Euangelistæ ad clarificanda ejus miracula, divina lectio: Et ipsi quidem, dimissi a Spiritu sancto venerunt, [Cum eodem profectus in Cyprum,] Seleuciam, & inde navigaverunt Cyprum. Repletus namque Spiritu sancto Beatus Barnabas, quid decebat ut ageret cum dilecto collega, nisi illud, quod nemo mortalium sine gratia Spiritus sancti patrare valet, sicut in præsentiarum manifestissime apparet, & declaratur? Nonne postquam illum Bar-jesu, qui Helymas dicebatur, lumine privarunt; & Sergium Paulum Proconsulem, a quo beatus Apostolus de Saulo Paulus vocatus est, [excæcato mago.] ad fidem Catholicam converterunt, plurimam multitudinem ad lucem veritatis perduxerunt? Sic utique

sacra Scriptura denuntiat: **Secura est, inquit, multitudo Judæorum & colentium advenarum, Paulum & Barnabam, qui loquentes suadebant eis permanere in gratia Dei. Et sequenti sabbato pene universa civitas commota est audire verbum Dei. Audientes autem gavisii sunt, [multos convertit:] & glorificabant Dominum, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. O admirabile stupendumque mysterium divinæ dispensationis: O prædicandum & glorificandum sacramentum Domini Salvatoris! qui sibi recte famulantibus tantam gratiam conferre dignatus est, ut resistentes lumine privarent, & humiliter famulatos ad claritatem perpetuæ beatitudinis perducerent. Sed quia superbi unde respiscere debent, inde inflammantur ad iram, seditionem facientes ejecerunt Apostolos de finibus suis. Illi autem gaudentes, repleti Spiritu sancto & prædicantes, converterunt ad Dominum Judæorum & Græcorum copiosam multitudinem.**

[7] Interea, quia unus inerat eis spiritus & una fides, sicut in ceteris Apostolis, [Claudum erigit Lystris,] ne minores viderentur esse in miraculis, qui æquales erant in amore sanctæ religionis; congruum fuit, ut sicuti Beatus Petrus & Joannes claudum ex utero matris curaverunt, B. Paulus & Barnabas similiter agerent; ac dispensante Deo, ita peractum est; venientesque Listras, claudum ex utero matris mirabiliter curarunt: adeo ut tale miraculum turbæ conspicientes, Deos illos existimarent, dicentes: Dii facti similes hominibus descenderunt ad nos; & vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Jovis, tauros & coronas deferens, volebat sacrificare. Quare itaque hoc? Quare Barnabam Jovem, Paulum vero vocabant Mercurium? Quare tauros, quare coronas Sacerdos ferebat? Propter hoc namque Barnabam Jovem vocabant, [& ipse pro Jove, Paulus pro Mercurio fere adorantur.] quia secundum ethnicam fatuitatem, defensorem suum illum esse

credebant: Paulum vero Mercurium, quia ipsum credebant eloquium linguæ præstare mortalibus: unde Mercurium, hoc est medium currentem inter aures linguasque dicebant. Tauros vero, ad victimam; coronas autem, ut quasi Diis Sacerdos Jovis illis imponeret. Sancti itaque Apostoli, reminiscentes præcepti Domini, dicentis; Qui se humiliat exaltabitur; tale facinus prorsus abominantes, & respuentes, scissis tunicis clamabant: [quod illi abominari,] Viri, quid hoc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes, ut convertamini ad Deum vivum, qui fecit cælum & terram.

[8] Exinde in Derben euangelizantes, docebant multos. Vere digne, vere juste, gratia Christi præeunte & dispensante, multos docebant; ut qui se in mundanis rebus humiles fecerant, in divinis sublimes existerent; ut plurimos docerent, tenebrisque retentos ad lucem veritatis reducerent. Plurimas itaque provincias peragrantes, verbum Domini annuntiando, tandem pervenerunt Hierosolymam; qui suscepti a sanctis Apostolis, [& Hierosolymam regressi] annuntiabant gaudentes, quanta Deus cum eis mirabiliter fecisset. Bene autem, non utique tristes, sed gaudendo annuntiabant, quia promissum habebant; Gaudete itaque & exultate, quoniam nomina vestra recepta sunt in cælo.

[9] Verumtamen, quia in Antiochia quæstio exorta erat de circumcissione ab improbis, [indeque cum Synodali decreto Antiochiam remissi,] consilio inito sancti Apostoli, quos destinare curaverunt ad tale facinus extirpandum, nisi hunc beatissimum atque fidelem Domino Barnabam, filium scilicet consolationis, cum collega fido beatissimo Paulo? quo consolando, atque prædicando elisos erigeret, ac perditos revocaret; quod, donante Deo, ita patratum est. Præterea quantam dilectionem erga hunc beatissimum Barnabam sancti Apostoli habebant, quantamque benignitatem; sanatus Evangelista

denuntiat: Placuit, inquit, nobis collectis in unum eligere virum, & mittere eum ad vos, cum charissimis nostris Barnaba, & Paulo, qui tradiderunt animas suas pro nomine Christi. Vere dignum, & justum, atque salutare decretum: quia destinare curaverunt, quos gratia Spiritus sancti jam pridem eligerat.

[10] Namque Antiochiam cum Apostolica epistola properantes, impiam hæresim destruxerunt; erantque docentes & euangelizantes verbum Domini nostri Jesu Christi. Porro, [revisunt Ecclesias a se constitutas:] quia omnem sollicitudinem erga sanctam Ecclesiam habebant, ne in aliquam hæresim incideret; placuit, ut revertentes visitarent Ecclesias, quibus prædicaverunt verbum Dei. Sciebant enim, callidam esse astutiam sathanæ; ideoque providebant, en corda renovata sanctus pestifero germine zizaniorum fœdaret. Postmodum vero ait Evangelista: Visum est eis, ut B. Paulus reverteretur Hierosolymis, Barnabas autem repeteret Cyprum Insulam, de qua assumptus erat: assumpto prædicto Joanne, cognomento Marco. Bene utique providentes, bene intelligentes, ut unus pergeret ad visitandum fundamentum secundæ Ecclesiæ & Religionis; alter vero ad prædicandum, & liberandum ethnicos a nece perditionis.